8477
8 E4
y 1

BRUNIUS,

ELEGI

SAECULARES.

LIBRARY OF CONGRESS
1800

XVII

C. GEORGI BRUNII

ELEGI SAECULARES

IN

REFORMATIONEM LUTHERANAM,

RECITATI

LONDINI GOTHORUM

MDCCCXVII.



HOLMIAE,
EX OFFICINA HAEGGSTROEMIANA
MDCCCXX.

PA 8477
.B38 E4



Phœbe procul blandæque deæ; Permessidos undas
Non peto; carminibus fabula nulla meis.
O æquæve patri, fili, qui sidera linquis,
Ut nos servares numinis usus ope:
Qui cœlum redivivus adis de morte triumphans,
Aeterno resides maximus inque toro:
Qui, tuba per ruptas ubi nos ciet ardua nubes,
Vultu terrebis vulgus inane tuo:
Hos animos, hæc, Christe, precor, mitissime, comple
Pectora, dum patriæ jubila justa canam.
Quo rapior! dicam tenebras, inductaque mundo
Nubila, mortifera fulmina torta manu.
Et quis sidereo veluti demissus Olympo,
Infringit vires, Roma superba, tuas.
Atque novam rebus faciem, stratisque reducit
Gentibus æthereum flammiferumque jubar.
Quo rapior! longe redeunt mihi sæcula, plenos
Luminis adspicio pectora motus agros.
Relligio, mitis quam stas Jordanis ad undas
Vultibus ærumnas præstigiasque fugans.
Te juga Carmeli tremulis venerantur olivis,
Mœnia te Bethles conspicuusque Sion.
Te procul omne mali genus exsulat, edita proles
Virgine dum gressus firmat in orbe tuos.

Prælucetque tibi qualis micat auricomus sol,
Subsequiturque sua spe comitata salus:
Candor, et integritas, et opum contemtio, morum
Rustica simplicitas, intemeratus amor.
Illius adventum fugiunt morbique necesque,
Ambitio, levitas, cumque furore nefas.
Sed breve quam tempus miserum deus incolit orbem.
Stellantis revocat regia celsa poli.
Scilicet haud tellus, data quæ mortalibus ægris,
Immortale diu nobilitanda pede est.
Conticuere sacra Solymi formidine, late
Conticuit pelagus, conticuitque solum.
Filius omnipotens patris omnipotentis ab umbris
Digreditur, postquam mors superata jacet.
Surgit jo, surgit niveis super æthera plantis,
Cui radiosa micans tempora cingit apex.
Discipuli precibus, votis oculisque sequuntur
Attoniti, cœlum cœlicolasque vident,
Felices cœtus spatiosaque templa supremi
Numinis, et quotquot splendidus axis habet.
Ut cito vanescens patrias remeatur ad arces;
Jam condunt dominum cærula regna suum.
Vos hostes inter medios, pia turba, magister
Deserit; ut rabidis pastor ovile lupis.
At vestros animos non deseret entheus ardor,
Nec vestros animos deseret alma fides.
O fortunatos, quos purior ætheris auris
Illa subit, valida quos relevatque manu.
Vos neque sollicitant curæ durive labores;
Nec quot habet tellus, unda polusque metus.
Nunc minus Aegyptum terret latrator Anubis,
Mitescit Scythicis horridus Aesus agris.

Inclita Grajorum resilent oracula divûm,
Negligit antiquum maxima Roma Numam.
Bellatrix sævos dediscit Gallia ritus.
O quantum Christi dogmata vera valent!
At cum discipuli, quas monstravere, fruuntur
Sedibus, et tellus molliter ossa tegit;
Paullatim doctrina labat cœlestis in orbe,
Et sunt, qui miscent sancta, profana viri.
Si nescis, multus narratur Origenis error.
Quam circumsistit litigiosa cohors!
Te, pia Relligio, deliramenta fatigant
Doctorum, miris contemerantque modis.
Non qualis quondam miseros solaris, iniquis
Das famulatrices officiosa manus.
Roma caput tollit toties prostrata, sacrisque
Utitur auspiciis ingeniosa tuis.
Terret imaginibus populos fallacibus ægros,
Rursus subjectam dum sibi poscit humum.
Elicit invisa sontes caligine manes,
Damnatos genios terribilemque ducem.
Funereæque volant animæ stridentibus alis,
Infestant cunctas turbinibusque plagas.
O quantos efflant nimbos. Exinde laborant
Oceanus, terræ sidereæque domus.
Flagrantis tantos, si rupta Gehenna, vapores
Vix exhalarent stagna profunda lacus.
Fas tibi flere reor scissis, Elegia, capillis.
Adspicis in terris ut nova bella tument?
Adspicis elusos nullo discrimine reges,
Orbarique suis civibus usque solum?
Quo ruitis, gentes, quantis pugnatis in iris,
Isacidum quanta cæde repletis agros?

Cæde repletis agros. Centena cadavera campis
Millia concilium pontificale juvant.
Gratuler, an doleam, quod adhuc tibi, Scandia, prisca,
Nescio, rusticitas ingeniumque tuum est,
Et quod adhuc soliti superis adoluntur honores,
Quodque licet veteri bella movere modo.
Sed sator omnipotens, circumvolventibus annis,
Vos meliore frui conditione sinet.
Cædentur luci, flagrabunt culmina divûm,
Concidet ante sacros hostia nulla focos.
Non semper ponti spumantia terga rubebunt,
Nec semper tabo vasta madebit humus.
Illustris virtus prosternere fortibus armis
Oppositos, sed eam, quæ superabit, erit.
Adveniet tacitis comitata timoribus alma
Relligio. Subitum fulgurat ore jubar.
Fulgurat ore jubar; veluti, modo nocte fugata,
Sol oriens hiemes nuntiat orbe rubro.
Templa deo surgunt, festis altaria fumant
Ignibus, et placidis cantibus aula sonat.
Prisca Superstitio tandem damnata recedit,
O nova si veterem nulla secuta foret.
Nec mala mollities, et opum furiosa cupido,
Omnia turbaret nec tua, Roma, fides.
O nimium felix subjecta Trionibus ora,
Si non divinis mixta profana forent.
Et nec avarities populum vexaret egenum,
Nec Latii quaterent fulmina crebra soli.
Sic erat in fatis; non victrix Roma maniplis,
Sed te comprimeret legibus illa suis.
Illis posset validis innectere vincula palmis,
Indomitumque prius debilitare genus.

Inde tributa daret, quoties quos contudit Arctos,
Civibus, Oenotrium contremeretque virum.
Quos quondam thalamos tantum dabat ardua virtus,
Dextera pontificis, quæ reseraret, erat.
Calcaretque (pudor) lapidosa sepulcra priorum,
Sæpe ferox nostras finderet hostis aquas.
O deus omnituens, moderator et arbiter orbis,
Nos quo Cimmeriis noctibus usque premes?
Non gravis astriferis veniet de sedibus auctor
Luminis, oppressum restituetque genus?
Nullane Riphæis aderunt solamina terris,
Litora perpetuo tristis habebit hiems?
Ver reficit campos, fugiunt e vallibus umbræ
Humentes, plantas dædala fundit humus.
Vana Superstitio nebulas, quibus induit orbem,
Pelle, pater, radiis turbinibusque tuis.
Parva querer! piceo nimborum velat amictu
Turpiter eoas occiduasque plagas.
Horresco latis explosa tonitrua campis,
Horresco gemitus præcipitesque fugas.
Sic tempestates, udis surgentibus austris,
Involvunt nimbis, quidquid ubique, suis.
Mortales pereunt terra pelagoque sepulti.
Luminis erranti nil nisi fulmen adest.
Pauperis admonitrix vitæ, Saturnia tellus,
Quin age ubi virtus simplicitasque tua est?
Condis adhuc gremio Curios Fabiosque, profanæ
Cum vix luxuriæ sufficit omne solum.
Hinc sua piratis delicta latronibus aufers,
Dummodo pro tanto munere multa dabunt.
Inde magistratus, venalia regna cinædis,
Templa, sacerdotes sollicitæque preces.

Venditur ipse deus. Scelerum quo denique ventum ert?
Omnia propter opes, Roma nefanda, patras?
Ast, opifex rerum, si talia ferre negamus
Jura, tuo feriet fulmine semper bumum?
Non pandes mundi fulgentia tecta, dabisque
Non majestatem cernere posse sacram,
Quam produnt cœli vaga lumina, quamque profunda
Aequora, quamque cavis saltibus alta juga?
Annuis, altitonans, patulus circumsonat axis;
Ocius aufugient nubila densa poli.
Tu pandes mundi fulgentia tecta, dabisque
Tu majestatem cernere posse sacram.
Te sciet occasus, superûm regnator, et ortus;
Nos uret veræ Relligionis amor.
Flamina quem celebrant fluviisque tumentibus arva
Florea, quem volucres, te populique canent.
Virtutis genetrix, Germania, quanta resurgis
Strata solo, quantis inclita facta viris.
Hinc procul, heroës, non gloria convenit illa
Vestris turbinibus terrificisque tubis.
Convenit æthereis ea gloria mentibus, artès
Quas non ingenuas edidicisse piget.
In primis adstas studiis præclarus, Erasme,
Qui potes antiqua cum gravitate loqui.
Qui potes infandos Latii compescere fastus.
Auxilium cœptis unde, Luthere, tuis.
Stelligera sequitur præcinctus luce Melanthon,
Hellados eloquio Romuleoque valens.
Quo nemo melius sacrata volumina pandit
Gentibus, et cunctas Relligionis opes.
Hos inter Cruciger divina, profana pererrans
Multa mihi merito commemorandus adest.

Illorum magnas longum foret addere laudes,
His in temporibus quot viguere viri.
Sed qualis roseo tandem prænuntiat ortu,
Imbribus effusis, Lucifer axe diem:
Nec tenebræ fugiunt omnes, nec conticet eurus,
Sed mare postremo momine volvit hiems.
Talis, cum graviter premeret Leo prodigus orbem,
Præsidium populis grande, Luthere, venis.
Te vocat afflicto lacrimans Ecclesia vultu,
Vulnera fert oculis inspicienda tuis.
Atque catenatos tendit miseranda lacertos,
Et queritur nulla se ratione regi.
Per sacros Christi gemitus partosque triumphos,
Et per terrigenûm cœlicolûmque genus,
Te contestatur. Miseræ succurre. Gravatum
Tollere te quærit vindice fessa caput.
Pauper, inops erras, modo vertice sidera tanges,
Victor Romanas despiciesque minas.
Et, qui terrarum quatit imperterritus orbem,
Non poterit fractum sternere Cæsar humi.
Cum vires cogit tacitas in valle procella,
Qua fugiet latis victa mephitis agris;
Ante tamen patulo subitum datur æthere signum
Quam perterricrepo turbine purgat aquas.
Haud secus eventura hominum gravis indicat ultor
Mentibus aligeris noctivagoque grege.
Somnia sunt aliquid veras imitantia formas;
Spernite ne, tumidi, non leve numen habent.
Ah! quoties blande volitant, cæcasque sub umbras
Exponunt summi regna beata poli.
Ah! quoties subeunt gravium prænuntia rerum,
Sollicitantque suis pectora nostra minis.

Ne, Friderice, time. Juvenis delapsus ab alto
Vertice cœlorum quam tibi dexter adest!
Alitibus cinctus sociis niveisque prophetis,
Scribere quod sacra quærit in æde, sine.
Ingentes calami ductus, calamumque leonis
Auribus infixum prospicis urbe procul.
Frangere conatur leo viribus, exit in auras
Sed gravis, et calamos fundit in astra novos.
Ter fugit ex oculis somnus, ter lumina somnus
Rursus adit, dum, dux, talia monstra vides.
His tandem monitus subito cava contrahe vela;
Syrtibus hærebit fracta carina, Leo.
Quod visus nautis fuerit pluviosus Orion,
Hoc tibi magnanimus, crede, Lutherus erit.
At perstas; saltem manes servare metallo
Desine, Teceli, merx nocitura tibi est.
Urbs te Leucoridum citat auspice celsa Luthero,
Quæ tibi proposuit, dogmata vera legis.
Frustra niteris contra sermonibus ire,
Vincitur ingenio non ea suada tuo.
Quam toties plaudens Academia laudibus effert,
Et cujus veri conscia fana dei.
Ultima nimbosum lux ingruit ante Novembrem;
Nubibus excussis, hinc venit alma dies.
Undique Leucorea discurrit in urbe juventus,
Cum rudibus docti, cum puerisque senes.
Quotquot adestis, jo, modo verba precantia in astra
Fundite, nam turbæ, bella necesque manent,
At, puto, nec turbæ, nec bella necesve valebunt
Flectere propositum, firme Luthere, tuum.
Fama tui jamjam strepitu Capitolia pulsat,
Erigit innumeros, qua volat, illa duces.

Fluctuat incertum Germana per oppida vulgus;
Nubifer ut summis ventus inerrat aquis,
Mox magis atque magis tumidos consurgit in æstus,
Iratum capiunt litora nulla fretum.
Ingentes motus magni et certaminis ausa
Conspicio, quantis perniciosa viris!
Maximus igniferum qui nutu volvis Olympum,
Cui mare sub pedibus vastaque terra jacent:
Quo genus humanum sine nil valet, ille secundat
Cuncta tibi, valida teque tuetur ope.
Victor abis, quoniam coram non constitit hostis;
Victor abis, circum, turba, triumphe, cane.
Læsa Superstitio Tiberinum tendit in amnem
Turbida, vipereas dilacerata comas.
Insidiæ dominam, fraudes solantur et iræ,
Nequitiæ, luxus compositique doli.
Sed non te frangunt iræ, Martine, dolique;
Ut manet in medio gurgite tuta silex.
Commentor scelerum, quid, Cajetane, laboras?
Auguror, efficies asperitate nihil.
Providus Augustæ latitantes ille catenas
Effugiet. Cautos calliditate subis.
Non licet ulterius divinam eludere legem.
Non licet. Ausoniam mox graviora manent.
Vana paras nimium, noli sermonibus, Ecci,
Vincere. Consilio te premis ipse tuo.
Tu modo cede retro. Veterum commenta patebunt
Turpia, sacrilega scriptaque jura manu.
Ceu ductor, magnis qui tempestatibus actus,
Gestit, ubi resident horrida flabra maris:

Et jam demersos miseratur in æquoris undis,
Cum subit optatam plurima passus humum.
Aegra licet lacrimis Ecclesia gaudet obortis,
Quod nunc præteritis candidiora videt:
Quodque, Luthere, gravis casus solaris acerbos,
Et desolatas nomine fulcis opes.
Ecce adfert trepidi prænuntia fama tumultus
Dogmata Romulea vera cremata face.
Et jubet auctorem tanti moliminis omni
Esse procul cathedra Christicolûmque sacris.
O quot dat gemitus pia turba per oppida de te
Deque tuis actum sollicitata putans.
Ante oculos adstant furiarum mille figuræ,
Livor, avaritiæ, prœlia, damna, fugæ.
Non pavet ille minas, non pontificalia castra,
Ampullas, nutus terrificosque rogos.
Quid formidatis! Turba lætante, Lutherus
Fulminibus similes ventilat ipse faces.
Sic jus pontificis, sic nugamenta sub urbe
Hic dat flammivomis diripienda globis.
Ah quid id est! subito ferus ingruit omnis in unum
Impetus? Hesperio res bene nota solo.
Urbs te Vangionum cœtu celeberrima regum
Advocat; inceptum carpe, viator, iter.
I felix, ista felixque evade corona;
Macte bonis animi, quîs, puto, tutus ages.
Intacto, cum de nimbis prope devolat ignis,
Non formidandum pontificale caput.
Nec qui, qua victrix Germania panditur, ingens
Carolus imperitat, crede, timendus erit.
Nec proceres, docti simul indoctique tremendi,
Nec quot habet gladios orbis utrumque latus.

Quid! frustra revocant comitum lamenta tuorum,
Jamque patent oculis atria vasta tuis.
Quem non tot vultus et curia tanta moverent,
Curia res libitu non ratione gerens.
Non detrectantur pugnæ, licet intonet iris
Roma ferox. Christi pro statione manes.
Non detrectantur manifesta pericula vitæ.
Ultima pro nivea Relligione subis.
Parcite mirari, quod non datur auribus æquis
Dicere, quodque satis non ea tuta fides.
Namque Superstitio veteres se vertit in artes,
Adgrediturque modis ingeniosa malis.
Ah quoties! memorat solium venerabile Petri,
Ah quoties! Hussos Hussiacasque pyras,
Servandamque fidem decreta negare priorum
Talibus, et papæ cuncta licere pio.
At contra vatis labentes spiritus artus
Firmat, quo tenebræ nil duce tristis habent.
O qui, cum primum mundi fabricata quiescit
Machina, perfectum numine reddis opus:
Qui, pontum, terras, cœlum mulcentibus auris,
Omnia pervolitans molliter igne foves:
Longius infandum cohibe terrore tyrannum,
Nec sine nos ista conditione mori.
Sed bene habet; mentes agitans adflatibus ægras
E desolata nos relevabis humo.
Inde, Luthere, tibi rata confidentia, raptim
Si fieretque vetus quidquid ubique chaos.
Rebus in adversis nullos timuisse furores,
Stat Christi veram restituisse fidem.
Doctrinam poscunt, turbæ profiteris iniquæ,
Vulgatos poscunt, tu profitere libros.

Sic invictus abis, quamquam te Carolus iris,
Appeteretque suis Roma proterva dolis.
Hei mihi quo traheris! non traderis hostibus ullis.
Arx ea, secure qua latitabis, erit.
Fallor an, exsilium, Patmus, fatale ministris,
Papa, tuis. Quantis inde premere minis.
Rex Lusitanus vanisque Britannus in orsis
Frustra suppetias, te trepidante, ferunt.
O quot terga datis victi melioribus armis;
Mittite fulmineum sollicitare virum.
Ceu sol e nimbis redit aureus, advenit ille,
Saxonas inter ubi turbida multa videt.
Componit rixas, implet dulcedine veri
Pectora, destituunt bellaque mota viri.
Sic discordantes, aquila veniente, volucres
Desistunt pugnis æquoreisque vadis.
Hinc tandem veteris sedes superata Quirini,
Ejus et ante pedes sceptra Latina jacent.
Turres Leucoreæ testes, Augustaque testis,
Lipsia, Vangiones, Spiraque testis adest.
Quis valet hos casus, quis et hæc discrimina mille
Dicere. Materia prægravor ipse mea.
Ante datur numerum Libycis subducere arenis,
Et stellis, quotquot lucidus axis habet.
Non totos haurit fluvios sitibundus arator,
E magno modicam gurgite sumit aquam.
Non ævum tento totum percurrere demens
His ego versiculis, magne Luthere, tuum.
Dum nova Germanas serpit doctrina per oras,
Nec rebus tantum Cinglius unus adest:
Dumque sacerdotes transactæ crimina vitæ
Dediscunt, fraudes concubitusque suos;

Interea Tibris generosis sordet Alanis,
Et fessum tollit Scandia læta caput.
Astrigeros stabat nebulis circumdata crines
Barbara, cui nec mens nec decus oris erant.
Ast hinc prætereunt sacra sæcula quinque; sed o quam
Illa parum veræ strenuitatis alunt.
Turpe sacerdotes, spoliis delubra refulgent,
Subque jugo virtus integritasque gemunt.
Et premit agminibus terraque marique superbus
Hostis, et innocuo rura cruore rubent.
Talis erat rerum facies, Martine, sub Arcto,
Cum mala Hyperborea monstra repellis humo.
Fana vacant monachis, trepidisque palatia turbis,
Oppida præstigiis, clathraque virginibus.
Haud aliter sub nocte pigra grassantia tandem
Vanescunt subito spectra fugata die.
O longum Gothici celebrentur ad Albidos undas
Jubila, nominibus rite notanda tuis.
Sic placuit divis; quæ te præsagia mentis
Bella docent, tibi non inspicienda forent.
Hei mihi! non, gratis ut Scandia fulminat armis,
Spectares, hosti perniciosa tuo.
Quod dedit, Eslebium recipit. Tua gloria surgit
Unde tibi, tumulo molliter ossa cubant.
Occidis invictus, postquam nitet aurea rursus
Lux Evangelii, mente renata tua.
Occidis, in mediis quem conspicit ignibus Hussus,
O quam carnifici fervida pestis, olor.
Si tamen est aliquid defunctis lumine vitæ
Carmina, quot laudes concinuere tuas.
Sic lugubre sonant, cygno moriente, Caystri
Flumina, cum niveæ dulce queruntur aves.

Sic mœrens olim plangit Jesseïa proles,
Pollice flexanimos eliciente modos.
Me miserum! fletus non illis fletibus ausim,
Vocibus et voces conciliare meas.
Qui potes infandos pro vero ferre labores,
Non curas lacrimas dulciloquumque melos.
Nunc animas inter tenues volucresque nitentes
Aeterno relevas fonte perenne sitim.
Teque prophetarum stipat pulcherrimus ordo,
Blanda Palæstinus concinit ore senex.
Et levibus reboant clangoribus ardua mundi,
Angelici circum, læta caterva, chori.
Spiritus immensos penetrat mitissimus orbes
Aetheris, et nitidum spargit ubique jubar.
Cum nato rerum rector vertigine cœli
Ignitis radiis lucidiore sedet.
Hinc, qua in cæruleis deges regionibus, auras
Et sub te terras oceanumque vides.
Lætus in occasum vultus converte serenos,
Undique Cimmeria litora nocte carent.
Adspicis hos cœtus, tria post data sæcula mundo,
Subque Lycaonio gaudia nostra polo.
Adspicis, indicit festas Academia luces
Carolis; ingenii stat memor illa tui.
O si cœlesti caleant præcordia motu,
Te sciet exoriens occiduusque dies.
Te scit, tu late latis laudaris in oris,
Eque tuo populi nomine nomen habent.
O patris æterni suboles æterna, voluptas,
Gloria, præsidium, terrigenûmque quies:
Qui terras habitas cœlique volubilis ignes,
Tu mihi principium, tu mihi finis eris.

Cum tanto nequeam te numine digna rogare,
Non aversaris, qui quoque factus homo es.
Te precor; ante suo geminum libramine plaustrum
Decidat, iratum verberet astra salum,
Cum liquido siccum coëat, cum fluctibus ignis,
Hocque triplex rerum sulphure fumet opus:
Quam pateris clarum nos ignorare Lutherum,
Vindice quo valido, tempora læta fluunt:
Quam legem pateris nostris, Servator, in oris
Turpari, miserum nocte premente genus.
Pacificus teti fulgesque salutifer orbi,
Sit semper genti paxque salusque tuæ.
At si bellandum, rebus, firmissime, nostris
Adfer opem, cujus victa Gehenna manu est.
Sic procul hinc hostes horrentem millibus aluum
Flectent; successu nam caritura suo est.
Accedent, nostris sub rupibus ossa jacebunt,
Saxaque sunt certæ signa futura necis.
Res orans magnas, addam quoque maxima: Christe,
CAROLIDAS serva CAROLIDUMque domum.
Respice Scaniadas Musas, carosque Lyceo
ENGESTROEMIADEN FAXIADENque viros.
Doctores veri Sectatoresque, licebit
Dum nos mortali commoditate frui.
Post tempestates, ævi quibus æstuat æquor,
Da superimpositos posse subire polos.
Da coramque tuis complere sedilia divis
Lucida, qua sanctis personat aula lyris.

PA
3477
.B5 E.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 095 630 8